Universitätsbibliothek Paderborn

# Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

II. De præsentia Parochi & Testium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41699

Visual Library

## CAPUT II.

*De præſentia Parochi, & teſtium.*

I. QUæro. *An ſit de eſſentia matrimonii, ut Parochus interſit?* Reſp. eſſe, in locis ubi Concil. eſt publicatum & receptum. Dico *publicatū*, quia hoc requirit ipſum Concilium, ut decretum hoc in ſingulis locis publicetur; & poſt triginta dies à publicatione robur habet. Dico etiam *receptum*; quia publicatum, ſed non receptum, ſaltem quando decem anni tranſierunt, non obligat, inquit *Filliuc.* ex *Navarro, Ledeſma, Sanchio* & aliis.

2. Quæro. *Quid de matrimoniis quæ contrahuntur in Regionibus ſubjectis tyrannidi hæreticorum?* Reſp. ſi in Parochia ubi contractus fit, non fuerit publicatum, impedientibus hęreticis; valida eſſe matrimonia, quæ ibi etiam ab hæreticis contrahuntur ſine Parocho & teſtibus. Reſp. 2. declaratum eſſe ab Interpretibus, ſi in Parochia tali publicatum fuerit legitimè hoc decretum; irrita ibi eſſe conjugia, quæ ſine Parocho aut teſtibus contrahuntur;

hũtur, ſive ab hæreticis, ſive à Catholicis. Poſtea verò ſcripſit ex urbe *Card. Bellarminus* ad nuncium Apoſtolicum Belgii, in Regionibus ſubjectis hæreticis, ubi Paſtores proprii nulli ſunt, quantumvis olim ibi publicatum fuerit Concilium, rata eſſe matrimonia etiam ſine Parochi præſentia; eò quòd ſatis conſtet decretum Concilii, quod jubet matrimonia fieri coram Parocho, non ſe extendere ad ea loca, ubi nulli ſunt Parochi. Poſtremò tandem pro ſimilibus difficultatibus, iterum à ſacra Congregatione declaratum eſt, ut in locis quæ ſubjecta ſunt hæreticis, ſi Concilium ibi olim publicatum fuerit, irrita ſunt conjugia, quæ citra formam Concilii contrahũtur, quando ibi aliquis Parochus inveniri poteſt. ſi verò nulli ibi Parochi ſint (ſub quibus comprehende Sacerdotes alios, qui de licentia Ordinarii matrimonio intereſſe poſſunt) vel ſint quidem, ſed adire nequeant, rata ſint etjam ſine præſentia Parochi. Ita docuit publicè in *Academia Lovanienſi Jac. à*

*Caſtro Theol. Doctor*, & modò *Epiſcopus Ruremundanus*.

3. QUÆRO. An valeat Matrimoniũ, ſi incolæ locorum, ubi Concilium eſt publicatum tranſeant ad Parochiam, ubi non eſt publicatum, & ibi clam contrahant, & ſtatim redeant? Reſp. validum eſſe, quia hoc decretum ſic obligat perſonas, ut tamen neceſſariò reſpectus debeat haberi ad locum contractus; ideoque cùm contractus naturam loci ſequatur, ſive fraude, ſive non ad illum locum acceſſerint validè contraxerunt: quia quod fuit neceſſarium in eo loco, adhibuerunt. E contrà, ſi hi qui locum incolunt, ubi non eſt publicatum Concilium, accedant ad alium locum, ubi publicatum eſt, & ibi contrahant ſine Parocho, invalidum eſt matrimonium; quia deeſt ſolemnitas neceſſariò & eſſentialiter requiſita, ut in eo loco validus ſit contractus. Unde licet peregrini divertentes ad alium locum per modum tranſitus vel hoſpitii, non autem animo ibi commorandi, non teneantur ordi-

ordinariè ad leges hujus loci, tamen exceptio ſolet fieri in contractu, in quo adhibenda eſt ſolemnitas requiſita à lege loci illius ubi fit.

Caſus iſte hic noviſſimè contigit. Advenit Nobilis quidam cum puella Nobili in nuptias cum eo conſentiente. Et quia puellæ avunculus impedimento erat, ne voto potirentur, è Gallia diſcedebant. Ibi autem non eſt publicatum hoc decretum Tridentini, & ideo coram quolibet Sacerdote cõtrahere ad validitatẽ ſufficit. Sic ipſi ut ſine ſtrepitu matrimonium inirent, & tamen in facie Eccleſiæ, adveniebant ad Eccleſiam *Fratrum Minorum* in Eremo noſtra adducentes ſecum Sacerdotem è Gallia, qui eos conjungeret, nec is tamen erat Parochus alterutrius partis, nec à Parocho ullo licentiam habens, Quærebat à me per litteras loci *Quardianus*, an non poſſet hac in re mere permiſſivè ſe habere, non interdicendo eis Eccleſiam ſuam? Reſpondi Sacerdotem illum, ac contrahentes in errore verſa-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ri, & ideò monendos eſſe de nullitate contractus hujus matrimonialis: quandoquidem in eo loco contrahatur, ubi Decretum *Trident. Concil.* receptum eſt, quod afficit quaſcumque perſonas ibi contrahentes, etiam venientes de loco, ubi Decretum iſtud non eſt receptum. Contractus enim ſequitur naturam & leges loci in quo fit, unde ſi aliquid de eſſentia in illo loco requiſitum omittatur, nullus eſt contractus, in hoc autem loco præſentia Parochi proprii partium contrahentium neceſſaria eſt, & ideo nullum fuiſſet matrimonium. Qua re intellectâ, receſſerunt ad Parochiam vicinam, quæ erat in Gallia, & ibi conjuncti ſunt.

4. QUAERO. *Qualis præſentia Parochi & teſtium requiritur?* Reſp. 1. non tantùm præſentia phyſica, ſed & morali ipſos adeſſe debere, ita ut appareat ipſos à contrahentibus adhibitos eſſe, & poſſint ea quæ geruntur cognoſcere: quia ſi coram dormientibus, vel ebrietate omnino ſepultis, vel alias uſu

ratio-

rationis carentibus cõtraheretur matrimonium foret invalidum. Reſp. 2. teſtes cum Parocho ſimul debere concurrere: non enim ſufficeret priùs coram Parocho, deinde coram teſtibus abſente Parocho contrahere. Sufficiũt autem teſtes qualeſcumque qui uſu rationis ſufficienti polleant. Unde infames, excommunicati, conſanguinei ſervi, fœminæ, Religioſi, poſſunt hic eſſe teſtes. Eſt enim cauſa matrimonii favorabilis; & concurrunt cum alio fide digno, nempè Parocho, cujus idoneitas ſupplet.

5. QUAERO. *Quid ſi Parochus vel teſtes inviti adſint, vel etiam per vim aut dolum adducti ſint?* Reſp. valere matrimonium, ut declaravit Congregatio. Nihil enim obſtat quod tamquam alia de cauſa vocati ſint, atque inter convivandum (verbi gratia) coram illis res geratur etiam non prę-monitis, modò tunc appareat, contrahentes ipſorum præſentiam requirere, poſſintque ea quæ geruntur, cognoſcere. Dico *poſſint*, quia ſi Parocho



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

affectante de facto non intellexerit, judicat Congregatio valori matrimonii non obſtare. Itaque non eſt neceſſarium, ut Parochus matrimonio adſit tamquam ex intentione exhibendi ſuam præſentiam auctoritativam in perſona Eccleſiæ, ſed omnino ſufficit quod præſens ſit, & poſſit teſtari appareatque quod ad illum actum adhibitus ſit. Quod etiam juri conforme eſt, ex lege *Coram Titio, de verborum ſignificatione*, ubi dicitur. *Coram Titio aliquid facere juſſus, non videtur præſente eo feciſſe, niſi is intelligat ſcire, non autem is velle debet, nam invito eo rectè fit quod juſtum eſt.*

6. QUAERO. *Utrùm Parochus poſſit dare licentiam alteri, ad aſſiſtendum matrimonio?* Reſp. affirmative, ita ut validum ſit matrimonium, etiamſi contra Epiſcopi prohibitionem alteri licentiam dediſſet, vel ipſe interfuiſſet. Neque neceſſaria eſt licentia in ſcriptis, ſed ſufficit verbalis, etiamſi probari non poſſit : imò non requiritur ut ſpecificè ad matrimonium ſolemnizan-

nizan-

nizandum detur, ſed ſufficit generalis ad omnia Sacramenta adminiſtranda. ſive ad exercenda ſua Parochia illa quæ pertinent ad curam animarum in ſua abſentia, ut ſolent Paſtores committere dum abſunt. Non ſufficit autem tacita licentia ex ratihabitione vel tolerantia, ut declaravit Congregatio Cardinalium. Requiritur enim vel commiſſio generalis adminiſtrandi omnia Sacramenta, vel ſi hæc non adſit expreſſa & ſpecialis licentia.

7. QUAERO. *An Sacellani qui hanc delegatam habent auctoritatem; poſſint alteri Sacerdoti eam committere?* Reſp. non poſſe, niſi ſint delegati ad univerſitatem cauſarum. Unde adverte, quod deſervitor qui ad tempus, vel per Epiſcopum, vel per Parochum conſtitutus eſt ad adminiſtrandam curam paſtoralem, alium ſublegare poſſit ad hunc effectum, eo quod delegatus ſit ad omnia negotia Paſtoralia: & hęc eſt poteſtas talis delegati juxta communē ſententiam Juriſperitorū Vicarius

autem Paſtoris qui ſimul cum ipſo curam adminiſtrat, eo quod non cenſeatur delegatus ad univerſitatem cauſarum, alium ſibi ſubſtituere non poteſt, multominùs quilibet alius Sacerdos, quem fortè Parochus in aliquo negotio ſibi adjutorem adhibuerit.

8. Quaero. *Quid ſi Parochus vel Sacerdos ab eo delegatus aſſiſtat extra Parochiam, an valeat matrimonium?* Reſp. affirmativè, quia jurisdictio voluntaria qualis eſt aſſiſtentia in matrimonio, poteſt exerceri extra Parochiam: cùm nulla irrogetur injuria alteri Judici, fiatque ſine ſtrepitu judicii. Sic etiam in confeſſione, poteſt abſolvi ſubditus extra Parochiam.

9. Quaero. *An Parochus debeat eſſe Sacerdos?* Reſp. non eſſe neceſſe, quamvis is quem delegat Sacerdos eſſe debeat. Sic enim reſtringit Trident. dicens, *coram Parocho vel alio Sacerdote*. Nec refert quod illa dictio, *Alius Sacerdos*, videatur implicare ſimilem qualitatem Sacerdotii in Parocho: nec enim univerſaliter id eſt verum, ut patet

tet Matth 25. *Cum eo crucifixi ſunt alii duo latrones*, ubi particula, *Alii*, non implicat ſimilem qualitatem, cum de Chriſto ſit ſermo. Itaque cùm Parochus non Sacerdos exercere poſſit omnia, quæ ad juriſdictionem ſpectant, nec ordinem requirunt, poterit aſſiſtere matrimonio validè, non tamen licitè; quia cùm Parochus debeat benedictionem dare, & ex præcepto Eccleſiæ dicere: *Ego vos conjungo*, hoc ut decenter fiat, à Sacerdote debet fieri. Itaque ſi contingenter Parochum non Sacerdotem aſſiſtere, non poteſt ſtolâ uti, nec dare benedictionem.

10. QUÆRO. *Quid ſi fuerit Parochus excommunicatus, hæreticus, ſchiſmaticus, aut ſuſpenſus à divinis?* Reſp. ſi habuerit Canonicam inſtitutionem, aut paſſim exiſtimatam talem, quamdiu ipſe gerit ſe pro Parocho, nec ab Eccleſia per ſententiam eſt privatus officio, aut poſſeſſione beneficii, non impedit aliquid ex prædictis validitatem matrimonii. Exhibitio enim præſentiæ non eſt propriè actus juriſ-

dictio

dictionis, ideoq; fieri poteſt etiam ab invito, etiam ab excōmunicato, ut declaravit Congregatio. Unde poteſt & alteri licentiam dare, quia nō eſt propriè actus juriſdictionis, ſed tantùm conceſſio alicujus actus, in quo Parochus eſt legitimus teſtis. Manet ergo in eo poteſtas ſubſtituendi aliū ad talē actū. *Sed* quid ſi aliquis ſit intruſus in Parochiā, nec legitimus ſit Parochus? ℞. ſi ſit intruſus abſque titulo proveniente à legitimo Superiore matrimonium coram ipſo cenſetur invalidum; quia geſta per talem, in neutro foro valent. Si verò habuit titulum à Superiore legitimo, ſed invalidum ob vitium aliquod occultum, valet matrimonium; quia juxta communem ſententiam, valent geſta per eum in utroque foro. V. quæ dixi in *Reſol. Caſuum de Sacram. in genere cap. 4. in fine.*

## CAPUT III.

### *De tempore & loco matrimonii contrahendi.*

1. QUÆRO. *An in omni loco poſſit matrimonium contrahi?* ℞. ordinarie